

ak. 387, 24.

(X 1883943)

II n
1801

I. N. J.

DISPUTATIONEM HISTORICAM

De

Tyrannicâ Ignominiâ

quam

Friderico Ahenobarbo,

Imperatori,

intulit

Alexander III. P. R.

In Alma Leucoreâ

PRÆSIDE

M. JEREMIA HOFFMANNO,

Argentoratensi,

publicè examinandam,

proponit

RESPONDENS


JOACHIMUS Fromme /

Brandenburgensis Marchicus.

Ad diem XXIII. Martii M DC LXI.

In Auditorio Minori,

Horis matutinis.



WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS Wendt.







PRÆFATIO.



Uæ se rationes offerunt, quare *PAPATUS ROMANUS* ab illo Ecclesiæ statu, qui fuit sanctissimus, & integritate fidei florentissimus, tantum mutatus fuerit; Una in ipso *TEMPORE* est: Nihil enim tam sanctum, quod non corrumpat diurnitas temporis; & ut habet proverbium: *Omnia fert etas*. Altera majorum nostrorum *LIBERALITAS* est, si modo nomen liberalitatis meretur: Cum enim illi *Episcopos* ingentibus ornassent divitiis, illiq; hianti quasi ore omnia ad se traxissent, priscam sanctitatem exuerunt, liberiusq; vivere cœperunt. Nam primis temporibus modesti fuerunt, nec os suum in cœlum ausi sunt ponere. *Aventinus lib. 4. Vide Epist. Friderici ad Hadr. IV. P. R. apud Raduvicum in append. Abbatem Urspergensem in ΑνακειΦαλειώσφ Chron. Conradi Henricorum 3. & 5.* Sed sic fieri amat: Ubi enim divitiarum invasit cupido, neq; disciplina, neq; bone artes (neq; *RELIGIO*) satis pollent: Neq; quisquam extollere se, aut divina mortalis attingere potest, nisi omisis pecunie & corporis gaudiis. Et ubi pro labore desidia, pro continentia & equitate lubido atq; superbia invasere,

*Ammian.
Marcellin.
lib. 27. c. 2.*

*Sallustius ad
C. Cas. & in
bello catilin.*

vasere, fortuna simul cum moribus immutatur. Hinc ergo factum, ut castissima illa Matrona (ROMANA ECCLESIA) nimis opibus depressa, in meretricem turpissimam degenerarit, quæ suis adeo sopita est voluptatibus, ut resipiscere hætenus neq; sciverit, neq; scire voluerit: Imò enecavit eam ambitio, à quâ omnia suborta reperiuntur Schismata. Æneas Sylvius in Concil. Basil. lib. 7. Optimè ergo huc quadrat, quod

Histor. l. 2. Tacitus de corruptissimâ Vitellij aulâ scripsit: Nemo non procul à sine. hætenus probitate, vel industriâ certavit, unum ad potentiam iter omnibus propositum fuit; succedunt magis alij homines, quàm alij mores. Id certè de Pontiff. Rom. aulâ jure quoq; dici potest: Corpora enim, non vitia, imò nomina solum ut plurimum sunt immutata, succedentibus subinde aliis. Liceat tantum ALEXANDRI III. Pontif. R. qui HADRIANO IV. succesit, scelera ponderare, imprimis tyrannicam istam ignominiam, quam ille FRIDERICO BARBAROSSÆ intulit: Quorsum enim attinet Imperatorem conculcare pedibus? Nempè ut homines, cum se permisere fortune, etiam naturam dedidicisse, ostendant. Sed eundum est, quò tendimus, DEUS ADSIT CONATUI!

Curt. lib. 3. 6. 2.

THESIS I.

Imprium Romanum beneficium, seu feudum esse Pontificis, & Germanos Cesares Romanorum Pontificum beneficio imperare, FRIDERICUS I. cognomento BARBAROSSA, pro mendacio habuit insigni, id quod Raduovicus l. 1. de reb. gest. Frid. c. 10. annotavit: Ille enim in Epistolâ quâdam ad Regni optimates, Scripturæ testimoniis Hadriano masculè oppositis, immanem illius ambitionem acriter perstrinxit, non delevit; quod ex literis Hadriani ad Archiepiscopos, Moguntinum, Coloniensem, & Trevirenssem apparet, quæ apud Johann. Aven-

Aventinum extant. Perrexit enim ille usq; ad ultimum vitæ articulum violare *FRIDERICI* Majestatem, cumq; persecutus est, donec odium cum spiritu exhalavit. De cujus obitu turpissimo vide *Abbatem Urspergensem in Chron.*

THES. II.

Sed neq; tum *Fridericus* omnem effugit invidiam: Successor enim *Hadriani ALEXANDER III.* tandem perfecit, calcato prius collo *Imperatoris Augusti*, quod inchoavit *Magister*: Videbatur enim *FRIDERICUS* de se profiteri, quod *Nero* quondam professus est: *Qui ante se fuissent Principes, non scivisse, quid sibi liceret.* Quare ille acrius pugnabat adversus *Alexandrum*, quod ante eum plurimi nec fecerunt, nec facere ausi sunt: Imò clamavit semper *FRIDERICUS*:

ECCLESIAM regat ille suam, divinaq; jura
Temperet; *IMPERIUM* nobis, fascesq; relin-
quat.

Sueton. in v. N.
Gunth. Lig. lib. 6. de Frid. Gest.

Non enim ignoravit, *Pontifices* ab ipsis olim *Imperatoribus* fuisse electos atq; confirmatos. Vide *Nicol. Machiavellum in dissert. de migrat. pop. Sept.*

TH. III.

Hujus verò alacritatis & vigilantix *Papa* fuit impatiens. Er hat nicht wollen leiden / daß ihme der Keyser solte in die Karte sehen. & sanctè potius ac reverenter existimavit de actis suis *FRIDERICUM* debere credere, quam scire. Sed *FRIDERICI* stomachus nequitiam *Papa* coquere nesciebat, somniaq; & deliramenta illius neq; exosculari, neq; probare ad minimum poterat, quia modo illegitimo sedem invasit *Apostolicam*. Hinc ergò *Papa* excommunicavit *FRIDERICUM*, more antecessorum impio, quem tamen morem *Papirius Massonius* profusè laudat: *Excommunicationis*, inquit, *De Episc. Urbis in Greg. 7.* pœna gravis fuit, quia id fulmen jaculari *Pontiff.* rarò consueverant, solaq; eorum arma excommunicationis erant, sed ita valida plerumq; , ut genus mortalium nihil formidabilius putaret. Sed rectè dixi, *more impio*: Non enim verba Christi factò patrocinantur, quia excommunicatio injusta nullum habet vigorem; quod tamen nobis excutere non convenit. Videatur *Cyprian.*

tract. de Unit. Eccles. Cath. Augustin. ad cap. 12. Job. Theophylact.
in Matth. c. 16. Petrus Asilus de Tyrannide Rom. Pontif. c. 5. Ve-
nerab. Beda lib. 4. c. 5. Marsilius Mainardinus Patavinus (de
quo vide iudicium Bernardini Scardeony lib. 2. Antiq. Urbis Pa-
taviy class. 7.) qui Ludovico Imp. nuncupavit lib. cui titulum
fecit, DEFENSOR PACIS, in quo satis demonstrat, Papæ
Excommunicationes esse abusivas, eundemq; inferiorem esse Impe-
ratore.

TH. IV.

Hâc ergò re commotus FRIDERICUS Romam clau-
sit, mox cepit. Sed Alexander evasit, & ad Venetos transit.
Vide Carolum Sigonium in vitâ Frider. Indignatione e. pariter,
atq; irâ captus, Filium Othonem, (alii Henricum ponunt) ob-
sidio de iussu cingere Venetos, qui tamen captus postmodum
Papæ traditus est. Carion. lib. 4. Sabellic. lib. 1. Hinc tandem
illæ lachrymæ : Pater amore erga filium adductus (publicas
causas infrâ addam) pacem promisit Papæ, Venetisq; ante
templum D. Marci supplicem se dedit : Necessitas enim id
suadebat. Sed quid Papa? Collum FRIDERICI suppli-
cantis pede presit iniquo, additâ ignominiosâ acclamatione:
Scriptum est: SUPER ASPIDEM ET BASILISCUM
AMBULABIS, ET CONCULCABIS LEONEM ET
DRACONEM. Ad quæ tamen FRIDERICUS respon-
disse fertur: NON TIBI, SED PETRO. Ille verò de-
nuò tyrannicè: ET MIHI, ET PETRO.

TH. V.

Orosius lib.
7. c. 39.

Quod, si verum est, (sic enim optimi quiq; Historici re-
ferunt) quis non doleat, imò toto pectore cohorrescat, cum
legit, Pontifices pietate quondam Imperatorum in atrocissimis
quibuscunq; persecutionibus defensos, eorundemq; libera-
litate ditatos, eò perfidiæ & temeritatis progredi potuisse, ut
illos ipsos Dominos, atq; Patronos propriis sedibus excute-
rent non modò; (neq; enim vera est famosissima illa, quæ
dicitur CONSTANTINI M. DONATIO, vide B. D.
Bischoy Pand. quondam in Acad. patriâ Profess. celeberrimi, disp.
de Don. Const. M.) sed excussos omnibus modis violarent, &
sup-

supprimerent. *Franciscus Guicciardinus, Patric Flor. in Paralip. loc. 2. (quæ extant in lib. cui titulus, Monita Politica.)* Et obscurum esse haud potest, quantas machinas homo iniquus ad moverit insidiarum, ac sceleris, quibus impediret, ne fixam *FRIDERICUS* ullibi haberet sedem. *Guntb. Ligurin. de gestis Frid. lib. 3. propè finem.*

TH. VI.

Sed cum quidam fabulis accenseant turpissimum, & plus quam tyrannicum scelus; quidam verò in descriptione rei istius, quam *Fridericus* cum *Alexandro* habuit, illud ipsum silentio tegant, delectus aliquis *Historicorum* habendus erit: Ea enim quorundam est natura, & adeò superstitiosi amatores suorum sunt, ut in recensendis virtutibus eorundem vitia (enormia imprimis) aut planè omittant, aut leviter tangant. Interim tamen verum quoq; dixisse videtur *Vopiscus*; quod *nullus sit Historicus, qui non sit aliquid mentitus.*

TH. VII.

Ex illo autem ordine producimus *Carolus Sigonius*, qui in descript. rerum gest. à *Frid.* ne verbum quidem, quod agat de hoc scelere, addit: Nec mirum: Fuit enim *Papicola* superstitiosissimus, & nihil ferè integrum tradidit, nisi quod ad scenam *Rom. Curia* compositum, accommodatumq; fuit, quod velim ex plurimorum *Imperatorum* descriptione conicias: Nobis enim ea jam tantùm attingenda sunt, quæ decet. Aliquam autem *Sigonius* hujus facinoris habuisse notitiam, non mediocriter suspicor: Non enim modestè satis & castè de insigni hoc agit *Imperatore*, dum omnia sic dirigit, ut excusari ille vix possit, sed *Papa*. Jam verò causa non alia, totius hujus discordiæ fuit, quam quæ in *Th. I.* à nobis fuit adducta.

TH. VIII.

Sed *Sigonius* lutum luto purgat, & fraudem fraude defendit: *Hadrianus* enim & *Alexander* suum nidum fartim, & cum timore incolentes, concitatis variis turbis, id intenderunt, ut de Imperio pro arbitrio suo disponendi facultatē retinerent, atq; *Imperatorē* (quemadmodum ceteros) eò compellerent,

rent, ut supplex ille & cum omni humilitate iisdem inserviret, & verbis conceptis fidelitatem juraret, hâc additâ declaratione, se Papâ esse inferiorem. Sed risit *FRIDERICUS* amenitiam & pruritus utriusq; vide Th. 2. & meritò risit, quia res fuit risu digna. Penes quem ergo jam culpa tanti disfidii? Res claro sole clarior, quam mallempendisset probè *Sigonius*.

TH. IX.

Neq; interim conjecturam nostram labefactant verba *Sigonij*, quæ interpretes German. sic reddidit. Dis haben wir also erzehlet / wie es Alexander in einem Brieffe verfasst hat / den 25. Julii an den Cassinatischen Abt zu Rivoalto gegeben. Debile namq; hujus rei fundamentum quærit Papicola: *Alexander* enim supprimi scelus maluit, quam divulgari. *Sigonio* autem fortasse illud excidit, quod *Historico* maximè attendendum; *AUDIATUR ET ALTERA PARS*. Unicum superest, quod mirer, cur de obsidione *Imperatoris*, Filio *Othoni* mandatâ, æquè taceat? Sed quia hic ipse parenti malum hoc postmodum suâ attraxit miseriam, tacuit perquam commodè.

TH. X.

Callidè ergo an candidè scelus hoc supprimat *Sigonius*, facilis quæstio est. Non certè candidè, quia culpam tanti disfidii in *FRIDERICUM* nullo jure, imò nullâ veritatis specie, transfert, quod tamen *Historici* famam turpissimè maculat. Modestior sanè in describendis *FRIDERICI* rebus fuit *Raduvicus Frisingensis*, quando lib. 2. append. c. 76. tale *FRIDERICO* tribuit elogium: *Bellorum*, inquit, *amator fuit Fridericus*, sed ut per ea pax acquiratur. Et ante hunc *Otto Frising.* Tanta, inquit, ab eâ die usq; in presentiarum toto *Transalpino* pacis jucunditas arrisit Imperio, ut non solum *IMPERATOR* & *AUGUSTUS*, sed & *PATER PATRIÆ* jure dicatur *FRIDERICUS*. Et *Abbas Urspergensis* in *Chron.* Fuit *FRIDERICUS* Imp. Christianissimus, bellorum omnium Triumphator, animosus, mansuetus, familiaris, quibuslibet victis clementissimus *OBLIVIOSUS INJURIAE* &c. quæ certè omnia *Sigonij* historiam turbant.

TH. XI. Sed

TH. XI.

Sed dicis, neq; apud hos ullum istius sceleris extare vestigium? verum est. Ergone ab author. negatâ valet conf.? Imò valet, si nihil in Authore desideretur. Jam si de *Orbone Frising.* sermo est, sumus in salvo: Obiit enim ille antequam hoc contigit, nempe anno Imperii *FRIDERICI III.* regni V. Vide lib. 2. Append. *Raduvici c. 11.* Sed adulatorem Pontificis *Otonem Fris.* si dixeris, rectissime dixeris: Inspiciantur modò verba, cap. 3. *Chron. lib. 6.* Vide, inquit, jam regno de crescente, *Ecclesiam ante Authoritatis factam, ut etiam Reges judicet.* Hinc *Bellarmin.* eum pro certo fideq; dignissimo Auth. exclamat c. 9. contra *Barclajum.* addatur *Otonis cap. 18. lib. 5. § 1. 6. c. 34.*

TH. XII.

Neq; ipse *Raduvicus* omnia expressit ad unguem. Audiamus modò in Epilogo ad Imp. ipsum verba facientem ejusmodi: *Hos de latissimis gestorum tuorum prais, AUGUSTORUM OPTIME, tam dilectus Patruus tuus, Otto Episcopus, quam nostrae humilitatis diligentia flores legit, plura, quae de te sciuntur, & referuntur, peritioribus, & magis domesticis relinquentes.* Hæc *Raduvicus.* Sed ne alios fortè nobis objiciat Lector Papicolas, dabimus hujus silentii veras causas: Æternum opprobrium, spes promotionis, timor amissionis, nec non pcena excommunicationis Clericis: Aliis verò ignorantia & tenebræ silentium indixerunt. Et *superstitio* quoq; multum valuit, quod ex *Johan. Rainoldi colloquio, cum Job. Harto de Papæ suprematu* instituto, satis elucet: Ita depresso (habent verba) *FRIDERICO Imperatore, Papatus evectus est, summusq; in orbe terre status evasit, & PETRI CATHEDRA JUS CÆSARIS OCCUPAVIT.* v. cap. 7. Sect. 6. p. m. 217. & 218.

TH. XIII.

Ab his omnibus, quos nominavimus, planè dissentit *Abbas Urspergensis* in *Chron.* cujus verba exscribere ne pigeat. Anno, inquit, 1176. 9. Calend. Augusti reformata est pax inter *Alexandrum Papam & Imperatorem apud Venetias:* Nam pars *Alexandri* cœpit prævalere tam in civitate Romanâ, quam in totâ Italiâ propter favorem *Wilhelmi Siculi,* unde postmodum V. Cal.

B

Augusti

Augusti Joh. Frumensis, quia dicebatur Papa Calistus, renunciavit Schismati, & ivit ad pedes Alexandri: sicq; diutinum Schisma quievit, & bella durissima cœperunt repescere: Imperator quippè jam vergens in senium, quieti cœpit operam dare, & utilitatibus filiorum intendere: Quinq; enim jam genuerat filios; HENRICUM, quem designavit fieri Imperatorem, FRIDERICUM, OTTONEM, GUNRADUM, & PHILIPPUM.

TH. XIV.

Sed quot verba, tot ferè errores: Filios quidem eodem recenset ordine Onuphrius Panvinius lib. 3. in v. Frid. In cæteris omnibus non videtur Abbas rem satis habuisse compertam: Dissentit enim à Sigonio, qui ad ipsas Alexandri literas provocat; dissentit à Carione, à Sabellico, aliisque. Et certè Sigonio, exceptis excipiendis, magis credimus, quam Abbati, hanc scil. in re, quia nolenti volenti verum aliquoties prorupit. Neq; tempus congruit: Sigonius enim ponit annum 1177. diem 22. Julii. Locum verò neuter rectè consignavit, quod infra verbis Andreæ Schotti dabimus apertum. Quis itaq; error Abbatem ceperit, ego videre non possum.

TH. XV.

Neq; illud, quod primâ debebamus dicere vice, admittendum est, Alexandrum fuisse copiis superiorem FRIDERICO. Ipse sibi non consentit Abbas: Alibi enim dicit, Romanos FRIDERICUM adeo perdomuisse, ut Alexander Papa coactus secederet ab urbe. Si ergò Alexandri pars prævaluit, cur fugit Venetios, cur Romam non defendit? Secundum communem politicorum sententiam adventante hoste arces & urbes claudendæ sunt, validoq; firmandæ præsidio, non deserendæ. Hinc imprudentiæ Græci Themistoclem accusarunt, quod urbem, Athenas, deserendam putavit, Xerxe jam adveniente, quanquam consilium prudentiâ non caruit. Herod. lib. 8. Nepos in v. Them. Miritò accusandus Papa, qui sanctissimus videri voluit, NUTRITOR ECCLESIAE, & VICARIUS CHRISTI. Innocent. de Consecrat. Pontif. Serm. 2. nihilominus tamen sanctissimam sedem, Sanctiss. Eccle-

Ecclesiam turpissimè deseruit. Sed religione fugit, religionē
oves dereliquit, religione deniq; commotus pacem dedit *FRI-*
DERICO. Imò

Religio velum est, quod scelus omne tegit.

TH. XVI.

Sed quid *Pontifex* armis opus habet, aut cur armis alios
instruit ad propagandum *Evangelium*? An nescit, ne quidem
ob solam impietatem & infidelitatem bella esse suscipienda?
Francisc. de victoriâ in relat. de Indis Sect. 3. conclus. num. 11. Et
Sect. 2 tit. 4. propos. 6. num. 15. Antimach. lib. 3. Theor. 1. p. 349.
Quas persequendi *FRIDERICUM* habuit causas? An
quia *Imperator* malus fuit? Et sic non *Alexandro*, sed *DEO*
peccavit. *Irenæus lib. 5. cap. 20. Arnob. in Ps. 50. Lactant. Firm.*
lib. 5. de Inst. c. 24. Clem. Alexand. Strom. lib. 4. Neq; princeps
facile corrigitur, si vitiis fuerit implicatus, nisi solo DEI timore
coerceatur. Isidorus Hispal. sentent. lib. 3. cap. 50. An verò quia
sedem Romanam toties quassavit? Jure optimo id fecit, quia
Alexand. à Clero, populoq; electus est citra auctoritatem
Imperatoris, imò repugnante eo. *Sigonius*. Præterea quoq;
alios *Alex.* contra *Imperatorem* armavit, alios ad bellum exci-
tavit, imò *Alexander* est unus ex illis, qui *Pontificiæ dignitati*
maximam potestatem conservare & propagare clam palàm
per fas & nefas, summoperè connisi sunt. Consulantur modo
Authores allegati.

TANTÆ SUNT ANIMIS COELESTIBUS
LIBIDINES.

TH. XVII.

Certè *P. Clodio* similis hac in re *Alexander* fuit, qui *omnis*
religionis contemptor, omnia tamen scelera religione texit: Etiam-
si autem quid in *FRIDERICO* desiderandum fuisset (quod
quidem *Abbas* negat) an ergò *Papæ* id corrigere convenit? Dabo
tibi *Regem in furore meo* dicit *Dominus*, hunc opus est exhortatio-
ne potius, quàm increpatione, consilio, quàm præcepto, doctrinâ
quam virgâ, (adde gladio verbi, quam *Regis*) corrigere. Sunt
verba *Hildeberti Cenomanensis Epist. 75.* Sed surdus ex libidine

Osee 13. 11.

Bibl. S. S.

Patrū T. 3.

Alexandri animus aures his non applicat. Hinc quod de *BO-
NIFACIO* VIII. dictum: *INTRASSE UT VULPEM
REGNASSE UT LEONEM*, id æq; de *Alexandro* dici
potest. Ex illo enim, ni fallor, *OMNIA SUBJECISTI
SUB PEDIBUS EJUS*, *Ecclesiasticam* simul, atq; *Politi-
cã* Monarchiam ineptissimã interpretatione elicit *Alexan-
der*, h. e. aquam exprimit è pumice *Vid. Petrus de Monte,
defensor Eugenij IV. in Concil. Basl. depositi p. 2. de Monarch. q. 4.
Sylvester Prieras in summã verbi, PAPA. Dionys. Carthusianus
de Regim. Polit. artic. 19. alij.*

TH. XVIII.

Haftenus deviasse sufficet. Valeat e. *Abbas Urspberg.* quia
ipse se ignorat, & rem hanc errore manifesto confundit. Si
enim *Papa* fuisset præstantior viribus, *Imperatorem* hunc sibi
immorigerum morti omninò destinasset, & quod in *Aëtis
PETRO* dictum: *OCCIDE ET EDE*, maturè sibi
applicasset. Haftenus autem idè prolixiores in describendã
Alexandri nequitia fuimus, ut judicare liceat facilè, ab inge-
nio *Pontificum Rom.* ambiciosissimo eiusmodi facinus non esse
alienum, Taceant interim *Papicolæ*, cum idonei non possint esse
testes illi, quibus imperari potest, ne testes fiant. Tendimus jam
rectã ad *Alexandrum*, ut nequitia dolium penitus excu-
tiamus.

l. Nullus, &
l. Idonei.
ff. de testib.

TH. XIX.

Diximus *Alexandrum* sub initium obsidionis fugisse *Ve-
netias*, hoc enim *Sigonius, Carion* &c. annotarunt. In hac urbe
pax est composita propter causam supra annotatam. Sed
fuisse quoq; causas publicas, quæ moverunt *Imperatorem*, ut
fieret *Alexandro* supplex, dixit *Carion. lib. 4. Chron. Tanti enim,
inquit, tunc erant Saladini, Sultani Aegyptij, in Asia successus,
ut, nisi Imperator afflictis opem ferret, viderentur brevi non in Syria
tantum, sed in totã Asia regnaturi Mahometista.* Hinc ergo ad
firmiora consilia respiciens *FRIDERICUS* venit *Venetias*,
& ibi ad pedes *Pontificis* procumbens, absolutionem petiit, ut
constitutã & confirmatã pace in Italiã, duceret exercitum in
Asiam, ablata repetiturus. Has, inquit l. c. *Carion*, conditio-
nes

nes FRIDERICUS etsi armis orat superior, accepit tamen, Na-
cumq; se Venetijs ad Pontificis pedes abjecisset, Tyrannus, non con-
tenuit Imperatoris modesti, insignes insuper addidit contumellas.
Pedem enim collo Imperatoris imposuit, & acclamari iussit: SUPER
ASPIDEM ET BASILISCUM AMBULABIS, ET
CONCULCABIS LEONEM ET DRACONEM
PEDIBUS. Ad eò firmiter reservavit Tyrannus verba Gre-
gory VII. quæ ejusmodi sunt: Solus Papa potest uti Imperia-
libus insignibus: Solus Pape pedes omnes principes deosculentur.
In Concil. Romæ apud Onuphriam in vita Gregorij 7.

TH. XX.

An ergò melioris conditionis fuit Alexander, quam Gre-
gorius? nonne os æq; in cælum posuit Tyrannus tum verbo
tum facto? Dubitas adhuc? Accipe quoq; Sabellici testimo-
nium, lib. 1. dec. 1, qui admodum cautè, & iisdem ferè verbis
scelus perstringit. Similiter Matthæus Dresserus rem candidè
denarrat in anno 1159. Subnecte his Clavem Job. Bunonis tab.
Hist. Chron. Neq; Nauclerus rem regit silentio: Sed ad certiore
rei notitiam apprimè conduceat testimonium Andrea Schotti: In Itin. Ital.
Ante principem, inquit, Portam lapis quidam magnus rubens quadra-
tus Imperatoris collo pena, in quâ Alexander III. FRIDERICI be Venet.
est, cui infixæ lamidem imposuit, ubi propterea literæ incise legun-
tur: SUPER ASPIDEM ET BASILISCUM AM-
BULABIS.

TH. XXI.

Authoritatem ergò sufficientem habemus, nec dubium
alunt verba cordati cujusdam juvenis, qui Tubingæ mihi stu-
diorum gratia moranti, bonâ fide narravit, lapidem se Vene-
tijs vidisse recentem admodum. Certè risum omnibus excute-
rem si rem vellem argumento proponere. Ignoravit fortè Ju-
venis Taciti verba: Ut vultus, inquit ille, hominum, ita simulacra
vultus imbecilla ac mortalia sunt. De nequitia Papicolarum jam
non differam, qui sæpissimè removerunt lapidem; Sed admo-
tus semper est vel alius, vel idem. Qui interim tyrannicum dis-
simulant factum, nesciunt dissimulata in majus credi. Tacitus
lib. 1. Histor. Martialis lib. 7. Epigr. 42.

Tac. in V.
Agric. pro-
pe finem.

Quod tegitur majus creditur esse malum.

B 3

Quod

Quod ergò scelus ab omnibus istis hominibus prudenter an fraudulenter, omissum sit, & dissimulatum non amplius judico: Papicolæ, quemadmodum in aliis, ita hâc in re potissimum nimis impensè favent Patronis, inde omnis nascitur contentio.

TH. XXII.

Sed antequam finis fiat, liceat annotare *Patientiam* pariter atq; *Magnanimitatem FRIDERICI*: Diximus quæ causæ moverint eum, ut cervicem suam pede superbo premi passus fuerit: Ex quo apparet *provida Imperatoris cura* circa subditos: Maluit enim quidvis potius pati, quam deserere suos, quale ingenium Papæ non fuit. Sed fortasse non absurdè dixeris, hanc *Imperatoris humilitatem* occasionem dedisse *Pontifici* majora spirandi, quam fors capit humana. Sed sit ita. Quasi verò non ante apparuisset Papæ studium, sibi vindicantis trophæa, & arbitrium rerum ad Imperatoris authoritatem spectantium. Nolumus ullos propter pagellarum angustias inserere huic disputationi. Fortasse id fiet commodiori tempore. *FRIDERICUS* igitur fatigatus tot ærumnis, cum dominandi Papæ libidinem, quæ cunctis affectibus flagrantior, delere tot incursionibus non posset, tandem quievit, *Alexandro* invitus tribuens, quod ille sibi sumsit de facto.

TH. XXIII.

Tamen in hoc ipso spectaculo *generosus animus* ostendit, indignitate rei se moveri, palàm interpellato *Pontifice*, cum inquit, *NON TIBI, SED PETRO*, sunt verba *Carionis*: Sed dolorem animi texerit magis, an prodiderit, anceps quæstio est: Illud pereximium est, quod tacuit: Reclamante enim *Pontifice*, aliquid periculi subesse metuens, nihil amplius adjecit. Adeò mite ac tractabile ingenium fuit *Friderico*. Sed ut virtutes illius accuratius consideremus, ratio instituti dissuadet. Vid. *Abbas Urspurgensis in Chron. & Otto Frising.*

TH. XXIV.

Alexandro ergò & animus & cornua creverunt, quia *FRIDERICUM* non religione sed malitiâ vicit: Non enim
con-

conveniunt religio, & inobedientia: Pietas in DEUM, & in Imperatorem Christianissimum impletas. Ergo

*Cernitis, in quantum Majestas Regia tandem
Venerit opprobrium &c.*

Gunth. Lig.
lib. 4.

Olim non erat sic: CAROLUS M. ejecit ex Ecclesiis Episcopos propter mores impios. LUDOVICUS PIUS non, nisi examinata jam electione populi, veneratus est Episcopum. LOTHAR. I. Romam profectus, inquisivit in Pontificis consilia, quod res novas moliri diceretur. Hæc & similia lege apud Sigebertum Gemblacensem ad ann. 773. Hildericum Mutium lib. 7. Malmesburiensem lib. 2. c. 13. Grotium de Imp. summâ pot. circa sacra 6. 10. Eginhard. Annal. ad. Ann. 827.

TH. XXV.

Quam dissimilis ergo, imò contrarius fuerit Alexander Cypriano, collige ex illius verbis: *Magis, inquit, optamus, & cupimus contumelias, & injuriam singulorum clementi patientiâ vincere, quam SACERDOTALI LICENTIA vindicare.* Sed ALITER DII ROMANENSES LUDOS FACTI TABANT CUM REGIBUS. Hinc Krantzius magis ineptè, quam piè: *Tantus, inquit, cum temporis Pontiff. Roman. fuit honor (mallem dixisset fastus) ut præ timore sedis Apostolicæ, contremiscerent potestates, & curvarentur, qui orbem portant.* Sed FRIDERICUS, coràm ALEXANDRO, homine nequitiosissimo, non contremuit, quia cur contremisceret, non habuit causas: quod fecit, non tam sui, quam suorum (includo subditos) gratiâ fecit: An verò FRIDERICUS supplex Sacramentum Papæ fidelitatis præstiterit, nostrum non est enucleare, ne falcem mittamus in alienam messem. Alios præstitisse, Albericus de Rosate in Dictionar. juris in verbo, ELECTIO IMP. annotavit. Cæterum cum vita FRIDERICI integris operibus sit descripta, promissis nihil addimus: Sed jejunos libris hallucinari aliquando oportuit, quod CANDIDUS LECTOR benevolentiam limabit.

Lib. 3. Epist. 9.

SOLI DEO GLORIA!

Optimum

247/10 1804



Optimum certè decus est, Virorum
Nosse summorum memoranda Facta,
Qui vices amplas super Orbe gestant
Cunctipotentis.

Hinc Tuum FROMMI Studium Eruditiss,
Cujus apparet specimen, probatur:
Imperatoris Monumenta Iustras
Digna notatu.

Gratulor docto Tibi de Labore,
Res ut Heroum vigili reservas,
Mente, sic semper Procerum levetur
Musa Favore.

Aegidius Strauch / Lic. P.P.



Optimum

1007

90

